



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. Quis, & qualiter de causa recusationis allegata cognoscere possit, ac debeat, & quis sit effectus recusationis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

recusationis specificè exprimenda sit in libello recusationis, & coram electis arbitris probanda, ad multas si fraudes cavendas. Sunt autem plures causæ ad reculandum judicem in jure approbatæ; si est v.g. probabilis suspicio de minus recta affectione judicis erga partem, vel de impetritia illius, si judex cum parte litigante inimicitias gerat, aut cum parte litigante judex etiam judicalem aliquam controversiam habeat; si sanguine, vel etiam amicitia sit valde conjunctus parti litiganti; vel si Dominus adversarii, cum quo lis est, vel sit illius familiaris, socius, patronus, affinis, &c. vel similem controversiam cum alio in alio judicio judex habeat. Est autem hæc judicis recusatio ante litem contestationem proponenda, cum sit exceptio dilatoria, nisi post litem contestationem nova causa recusationis superveniat, aut juret pars recusans, ad suam primam notitiam post litem contestationem causam illam pervenisse.

## §. VI.

*Quis, & qualiter de causa recusationis allegata cognoscere possit, ac debeat, & quis sit effectus recusationis?*

Judex si ut suspectus recusetur, non potest ipse in causa recusationis cognoscere (qui enim in principali causa suspectus est, multo magis talis habetur in causa accessoria) nisi notoriè & indubitate frivola sit, sed debet causa principalis cognoscenda remitti ad Superiorem, vel alii personæ idoneæ & non suspectæ committi ex consensu partium, vel ex communi utriusque partis consensu arbitri eligi debent, qui de causa tali recusa-

*Pirhing, Compend.*

tionis cognoscant c. *Suspicionis* 29. *De off. & potest. jud. deleg. & c. Cum speciali* 61. *de appell.* Interim tamen per reculationem talem manet suspensa recusati judicis jurisdicatio, & in causa coram se prolata ad ulteriorem non potest procedere.

## SECTIO VII.

*De citatione ad forum, seu tribunal competens.*

## §. I.

*Quid, & quotplex sit citatio, & quam ad illius substantiam requirantur?*

Citatio est actus judicialis, quo is, quem in judicio sisti oportet, judicis mandato legitimè vocatur in judicium, juris experiundi causâ, quæ usque adeo necessaria est ad valorem judicii, ut actus judiciarius contra citatum celebratus regulariter nullus sit ipso jure, cum citatio ad defensionem spectet, quæ est juris naturalis; & hinc rectè etiam dicitur judicium à citatione incipere. Dividitur autem citatio in publicam & privatam; publica fit vel per proclamationem, seu vocem præconis, per tubam, vel campanam, per edictum publicum, vel verbas Ecclesiarum, Curiarum, vel portarum Civitatis affixum, qui tamen modus citandi non semper & in omni casu permittitur. Privata citatio est, quæ fit privatim in personam citandi; & hæc duplex est, verbalis alia, quando Reus per nuntium vivâ voce coram, & in faciem in judicium vocatur; vel saltem ad domum solitæ habitationis, ubi reperiri non potest,

Kk

test,